



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Disputatio Prima. De Conscientiâ in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

TRACTATUS I. DE CONSCIENTIA.

DISPUTATIO I. De Conscientiâ in com- muni.

SECTIO I.

*Quid sit; & ad quam potentiam
spectet Conscientia?*



DIFFICULTAS I. Quid sit Conscientia? Multipliciter accipitur Conscientia, ut referunt Doctores cum Magist. in 2. dist. 39. D. Thom. 1. 2. q. 19. a. 5. & 6. de quo specialiter P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica, intro. P. Azor. tom. 1.

lib. 2. cap. 8. q. 1. quibus tamen acceptionibus omissis, Conscientia, prout in presenti sumitur: Est dictamen rationis, iudicans aliquid esse sequendum, aut fugiendum. Ita omnes Doctores. Dicitur dictamen rationis, quia est actus ad intellectum spectans, ut statim dicemus; quod quidem dictamen, sive conscientia multiplex est, nempe certa, errans, dubia, opinativa, & scrupulosa, prout ex dicendis constabit.

Difficultas 2. Utrum Conscientia ad intellectum: an ad voluntatem spectet? Prima sententia affirmat spectare ad voluntatem. Ita Henricus quodlib. 1. q. 18. litt. 1. Secunda sententia asserit, Conscientiam ad utrumque pertinere, ad intellectum scilicet, & ad voluntatem. Ita Alens. 2. p. q. 74. memb. 3. Durand. in 2. dist. 39. q. 4. n. 11. Tertia nihilominus sententia, quam sequimur, tenet, Conscientiam ad intellectum spectare. Est communis. Ita D. Thom. 1. p. q. 79. art. 13. Bannez. 1. 2. q. 19. art. 5. Conrad. ibid. §. Tota etiam. P. Soar. 1. 2. d. 12. tr. 3. sect. 1. P. Vasq. 1. 2. d. 59. cap. 1. §. Deinde. P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica, sect. 1. n. 4. & 5. P. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 8. q. 1. P. Becan. tr. 1. de bonit. actuum intern. cap. 6. q. 6. num. 2. P. Sanchez. lib. 1. decal. cap. 9. & alii.

3. Probatur primò ex sacrâ Paginâ ad Rom. 14. ubi dicitur: Omne, quod non est ex fide, peccatum est: nomine autem fidei Conscientiam intelligunt Richardus de S. Victor. ibi. quest. 320. D. Ambr. D. Chrysoft. Lyrar. & plures alii; sed fides, non ad voluntatem, sed ad intellectum pertinet, ut

constat; ergo & conscientia.

Probatur secundò ex sanctis Patribus, nam D. Basil. in Comment. Proverb. initio, vocat Conscientiam naturale iudicatorium intellectus. D. Damascen. lib. 2. de fide cap. 12. Est, inquit, lux (aut ut alii legunt) lux intellectus nostri. Et D. Aug. lib. 14. de Civit. cap. 20. dicit, Conscientiam esse librum, in quo scribuntur actus nostri; hæc autem omnia indicant, Conscientiam pertinere ad intellectum; ergo &c.

Probatur tertio ex nominis etymologiâ, nam Conscientia derivatur à verbo *conscire*, sicut, & nomen *conscius*; *conscire* autem, & *conscium* esse, est secum aliquid scire, & reputare, juxta illud 1. Cor. 4. Nihil mihi *conscius* sum. Item conscientia est *concludens scientia*, ut ex D. Antonin. refert Pezant. quest. 19. art. 6. d. 1. §. Absolutè, quod saltem intelligitur de aliquâ conscientiâ. Deinde conscientia ex D. Bernard. lib. de Conscientia cap. 4. dicitur *cordis scientia*: hæc autem etymologia maxime favent nostræ sententiæ; ergo &c.

Probatur quartò, quia nomen *scientia*, & *conscientia* pro eodem accipitur. Eccles. 7. ibi: *Scit enim conscientia tua te crebro maledixisse aliis*. Et Gen. 43. ubi fratres Joseph ad dispensatorem: *Non est, inquit, in conscientia nostrâ qui posuerit pecuniam in marsupio*; id est, nescimus; ergo cum scire conscientia tribuatur; scientia autem ad intellectum spectet, etiam ad intellectum spectat conscientia.

Probatur quintò ex actibus, qui conscientia accommodantur tam à Doctores, quam à sacrâ Paginâ; nam conscientia accommodatur dirigere, & regulare voluntatem, iudicare, testificari, defendere, excusare, accusare, reprehendere, dicere, & similia; hi autem actus procul dubio ad intellectum spectant; ergo &c. Confirmatur ex divisionibus, quibus Scholastici conscientiam dividunt; illam enim dividunt in veram, & falsam; in rectam, & erroneam; in rectam, & probabilem; in dubiam, & scrupulosam; harum autem divisionum membra sunt aliquid intellectus, & non voluntatis; ergo &c.

Probatur sextò, quia conscientia est aliquid necessarium; siquidem conscientia nequit suspendere actum circa proprium objectum sibi propositum; nam si illi proponitur bonum opus, non potest non approbare; si autem pravam, non potest non improbare; sed actus, & habitus solius intellectus, & non voluntatis, sunt necessarii; ergo conscientia, quæ in actibus, & habitibus consistit, prout infra dicemus, non ad voluntatem, sed ad intellectum spectat.

Argues 1. pro primâ sententiâ: Conscientia dicitur bona, vel mala. 1. ad Tim. 1. §. ibi: *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientiâ bonâ*.

bona. Et cap. 3. 9. & ad Hebr. 10. 22. ibi: *Asperſi corda à conscientiâ malâ*: sed bonitas, & malitia spectant ad voluntatem; ergo & conscientia. Respondeo primò, conscientiam dici bonam, vel malam, non formaliter, sed causaliter, quatenus scilicet conscientia est causa bonorum, vel malorum operum: sicut enim cibus proportionatus ad causandam sanitatem dicitur causaliter sanus; & improporcionatus, dicitur causaliter morbosus, quia sanitatem, aut morbum causat: ita etiam conscientia causans bona opera, dicitur bona, & causans mala opera, dicitur mala, causaliter tamen, non formaliter. In hoc etiam sensu exponi potest illud Psalm. 110. ibi: *Intellectus bonus omnibus sanctis*.

10. Respondeo secundò cum P. Soar. cit. sect. 1. num. 4. Conscientiam dici bonam, aut malam, non quia bonitas, aut malitia sint in conscientia, ut in subiecto, sed ut cognitum in cognoscente: Unde non ineptè conscientia dici potest bona, vel mala indicativè, in quantum indicat bonam, vel malam vitam, ad eum modum, quo pulsus, seu color dicitur sanus, seu morbosus, quatenus est morbi, seu sanitatis index: per quod solvuntur citata loca, quibus conscientia dicitur bona, aut mala, pura, aut emundari.

11. Argues 2. Ex communi modo loquendi, non eos, qui majori, aut minori scientiâ pollent, vocamus majores, aut minoris conscientiâ, sed eos, qui iudicata per intellectum rationabiliter, voluntate eligunt, & exequuntur; ergo conscientia, non ad intellectum, sed ad voluntatem spectat. Respondeo primò cum Lorca de Actib. human. d. 36. sect. 2. §. Communis tamen. idèò bonam conscientiam potius iustis, quàm sapientioribus tribui, quia conscientiam sequuntur, eique suos actus conformant. Non placet, quia non assignat rationem, cur rusticus iustus dicatur habere meliorem conscientiam, quàm sapiens improbus, si hic habet magis perfectam conscientiam, quatenus habet magis perfectam scientiam, ut habere probat argumentum.

12. Respondeo secundò cum aliis, eos habere meliorem conscientiam, qui habet majorem scientiam practicam; non autem qui majori pollent scientiâ speculativâ; cum verò rusticus virtuosus minorem vendicat scientiam speculativam, quàm sapiens flagitiosus, majorem tamen habeat scientiam practicam, meliorem dicitur habere conscientiam. Non etiam placent, quia non solum qui præstant in scientiâ speculativâ aliquando sunt pejoris conscientiâ, sed etiam qui excellunt in scientiâ practica, ut experientiâ constat. Unde.

13. Respondeo tertio, Conscientiam duas habere perfectiones physicam unam, & aliam moralem: physica consistit in eo, quod per conscientiam perfectius attingatur veritas circa acta, vel agenda in particulari: moralis verò in eo ponitur, quod conscientia sit causa, vel testis bonorum operum: licet igitur regulariter loquendo sapientior habeat meliorem conscientiam physicam, quàm minus sapiens, non idèò habet majorem conscientiam moralem; nam licet perfectius, & clarius attingat veritatem circa acta, vel agenda, ejus tamen conscientia non causat bonum opus, ut causat conscientia iusti minus sapientis; cum autem conscientia per se ordinetur ad mores dirigendos, idèò in modo loquendi potius ad illius perfectionem moralem, quàm physicam vulgò attenditur, sicque iustus minus sapiens absolutè dicitur melioris conscientiâ, quàm iniustus licet sapientior. Dixi

Tom. 2.

regulariter loquendo, quia contingere potest, ut vehemens passio aliqua, aut morum depravatio, ita intellectum sapientis obtenebret, ut licet in universali rectè iudicet de agendis, quando tamen ad particularia descendit, iudicium formet erroneum culpabiliter.

Argues 3. Conscientiâ tribuitur instigare, & remordere; sed tam instigatio, quàm remorsus pertinet ad voluntatem; nam instigare impulsus quemdam significat, remorsus autem tristitiam, & dolorem, quæ voluntatis sunt; ergo &c. Confirmatur, quia delectatio, & pœna habent se ex parte potentiæ affectivæ; sed in nobis est pœna, & lætitia ex parte conscientiæ; sic enim vermis conscientiæ erit magna pœna in damnatis; ergo conscientia est quid voluntatis, & non intellectus.

Respondeo primò cum Cordub. lib. 3. quest. 1. §. Ad alia, concedendo, remorsum esse actum voluntatis, quo voluntas refugit malum opus à se commissum, vel de illo dolet: attribui tamen conscientiæ, & intellectui, non tanquam elicienti, sed ut proponenti voluntati objectum ipsius. Respondeo secundò cum Lorca cit. §. Communis tamen. Malder. de conscient. d. 82. §. Ad 3. negando remorsum, & instigationem esse actus voluntatis; nam remorsus non est dolor, aut tristitia, sed testificatio adversus actum, quæ ipsum proponit voluntati ut malum, de quo pœniteat. Deinde instigatio non est impulsus per modum moventis, sed impulsus directionis, qui intellectus actio est.

Ad confirmationem concedimus, delectationem & pœnam esse ex parte conscientiæ, & ad illam pertinere, non ut rationem formalem, sed ut effectum ad causam extrinsecam; nam ex eo, quod Conscientia testificatur de aliquo peccato, generat displicentiam, & dolorem de illo in voluntate: & ex eo, quod testificatur de aliquo opere honesto facto, generat complacentiam, sicut actus intellectus causat actiones voluntatis.

Argues 4. Conscientia est proxima, & naturalis regula nostrarum actionum sub primâ, & divinâ, sed prima est voluntas Dei; ergo ei proximè subordinata erit voluntas nostra. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia prima regula habet vim per se obligandi; ad obligationem autem requiritur voluntas superioris: at verò conscientia non dicitur regula operandi ex eo, quod obligationem imponat, sed ex eo, quod imposita à prima regula ostendat, quod solus intellectus efficere potest.

Argues 5. Conscientia est quasi id, quod cum scientiâ, hoc est cum rectâ ratione concordat; sed id, quod primò, & per se concordat cum rectâ ratione est actus voluntatis; ergo &c. Respondeo negando majorem; alia enim sunt ethymologiæ conscientiæ, ut patet ex supra dictis, num. 5.

Pro secundâ sententiâ asserente conscientiam & ad intellectum, & ad voluntatem spectare: Obijcies 1. Quædam prædicata dicuntur de conscientiâ, quæ pertinent ad intellectum; quædam verò, quæ spectant ad voluntatem, ut constat ex locis Scripturæ supra relatis; ergo conscientia ad intellectum simul, & voluntatem spectat, & non ad solum intellectum. Respondeo quoad prædicata spectantia ad voluntatem jam ex dictis patere solutionem: quoad prædicata verò, quæ pertinent ad intellectum, nobiscum consentire.

Obijcies 2. Conscientia est participatio synderesis, seu synteresis; siquidem synteresis est ratio agendorum in communi, conscientia verò

in particulari; atqui synteresis secum defert non solum habitum primorum principiorum, sed etiam propensionem voluntatis circa prima principia practica; ergo similiter conscientia importabit, non solum habitum conclusionum, quæ à primis principiis deducuntur, sed etiam propensionem acquisitam voluntatis erga huiusmodi conclusiones. Confirmatur, quia propterea synteresis duo significat, & importat; siquidem synteresis componitur ex particula cum copulativa, & alio nomine; idem enim est synteresis Græcè, quod Latine conclusio; sed etiam conscientia componitur ex particula cum & scientia; ergo etiam duo importabit.

21. Respondet concessa majori, negando minorem: synteresis enim, ut tenet communis opinio, solum importat aliquid spectans ad intellectum. Unde argumentum retorqueri potest in Adversarios. Ad confirmationem dicimus, aliquos Doctores fuisse deceptos in assignandâ ethymologiâ synteresis, scripserunt enim esse nomen compositum ex *syn*, & nomine *heresis*, quod Latine est electio, ac proinde esse idem, atque *electio*, quod tamen falsum est, nam synteresis, ut habetur in Calpino, derivatur à verbo Græco *syntereo*, quod significat attentè considero, quod solius intellectus proprium est. Unde sicut particula *syn* in vocabulo *synteresis* non efficit conjunctionem multarum rerum significatarum ad intellectum simul, & voluntatem spectantium; ita neque illam faciet particula *cum* in vocabulo *conscientia*.

22. Obijcies 3. Conscientia nihil aliud est, quam applicatio scientiæ ad aliquid; sed applicatio pertinet ad voluntatem, scientia verò ad intellectum; ergo conscientia ad utramque potentiam spectat. Respondeo conscientiam importare quidem applicationem scientiæ, non prout applicatio dicit actum voluntatis, sed prout dicit intimationem ex parte intellectus ipsi voluntati; hæc autem applicatio scientiæ non extrahit conscientiam ab intellectu.

23. Obijcies 4. Conscientia est quasi cum aliquo scientia, vel aliquid cum scientia; sed illud aliquid spectat ad voluntatem; non enim potest esse actus scientiæ; alioqui jam in dormiente non esset conscientia, sicut non est actus scientiæ; neque præter illa, quæ sunt intellectus & voluntatis, potest aliquid ad conscientiam pertinere; ergo &c. Respondeo Conscientiam esse quasi cum aliquo scientiam, sive scientiam applicatam ad aliud, nempe ad actionem, tanquam objectum, quod repræsentat, aut dirigit: vel etiam esse applicationem scientiæ in quantum per conscientiam proponitur objectum amandum, aut repudiandum per actiones voluntatis. Ex quo non infertur, illud aliud spectare ad conscientiam ut partem essentiali, sed ut quid de connotato, sub quâ consideratione, non ad conscientiam pertinent actus voluntatis, sed etiam aliarum potentiarum, ad quos conscientia applicatur.

SECTIO II:

*Utrum Conscientia sit habitus;
an potius actus intellectus?*

24.



A C in retres invenio sententias: Prima sententia docet, rationem formalem conscientiæ constituendam esse in

solo habitu intellectus. Ita Durand. in 2. dist. 39. quæst. 4. num. 11. Alens. 2. part. q. 74. à membr. 1. usque ad 4. D. Bonav. in 2. dist. 39. a. 1. q. 1. & 2. Scot. q. 2. Secunda sententia defendit, essentiam conscientiæ in solo actu intellectus consistere. Ita D. Thom. 1. p. quæst. 79. a. 13. & cum eo Cajet. Banez. P. Vafq. 1. 2. d. 59. cap. 1. §. Deinde. P. Sal. cit. num. 5. P. Valent. d. 2. q. 14. punct. 4. §. Quod igitur. P. Azor. lib. 2. cap. 8. quæst. 1. P. Becan 17. 1. cap. 4. q. 6. Lorca d. 36. §. Sed ulterius, Malder. d. 82. §. Dico 5.

Tertia nihilominus sententia, quam sequimur, affirmat, essentiam conscientiæ circa actiones præsentis, aut futuras, esse actum: circa præteritas verò esse actum, vel habitum: unde conscientia, prout sit, sumitur indifferenter pro actu, vel pro habitu. Ita Richardus in 2. dist. 39. a. 1. q. 2. Gabr. quæst. unicâ. a. 1. ad finem. Lychet. q. 2. Cordub. lib. 3. q. 1. punct. 1. P. Sot. 1. 2. tr. 3. d. 12. sect. 1. n. 4. Favent P. Sal. & Doctores primæ & secundæ sententiæ, dum quidam in habitu, alii verò in actu constituunt essentiam conscientiæ.

26. Probatur, quia conscientia, ut patet ex supra dictis, & nomen ipsum sonat, est scientia; sed scientia indifferenter accipitur pro habituali, & actuali; ergo & conscientia. Confirmatur rationibus infra adducendis pro utraque sententia, quarum singulæ ita ostendunt, conscientiam constitui in habitu, vel actu, ut rationes factæ pro habitu non excludant factas pro actu, neque e contra, ut infra patebit ex solutione argumentorum utriusque sententiæ. Igitur:

27. Pro primâ sententiâ: Argues 1. Conscientia est diuturna, & permanet etiam in dormientibus; hoc autem est proprium habitus, & non actus; ergo essentia conscientiæ in habitu, & non in actu consistit. Respondeo majorem esse veram, si loquamur de propriâ, & formali permanentiâ, & de solâ conscientiâ circa actiones præteritas, quæ etiam permanet in dormientibus, sicque huiusmodi conscientia consistit in habitu; per hoc autem non tollitur, quominus conscientia circa actiones præteritas sit etiam actus: Si verò loquamur de permanentiâ radicali, sive virtuali conscientiæ, etiam dicimus permanere in dormientibus circa actiones præsentis, & futuras, quatenus in intellectu dantur habitus applicabiles ad actiones præsentis, & futuras, in quibus conscientia censetur virtualiter permanere. Ita D. Thom. 1. part. q. 79. a. 13. ad 3. Additur, licet nullus detur habitus, semper conscientiam manere in dormientibus virtualiter, utpote quæ datur eo ipso, quod homo habet potentiam intellectivam, quæ suo lumine naturali, quando se offert occasio operandi, judicat operationem esse honestam, aut non honestam, sive malam.

28. Argues 2. Conscientia est quædam participatio synteresis; sicut enim hæc respicit universales regulas agendorum, ita conscientia respicit particulares; sed synteresis est habitus; ergo & conscientia. Respondeo primò cum aliquibus, synteresim esse habitum intellectus practici inclinantem ad judicandum de principiis practicis nostris actibus acquisitum; sicut intellectus est habitus intellectus speculativi; est enim eadem ratio, cum post frequentationem actuum faciliore simus ad assentiendum principiis practicis. Unde juxta hanc sententiam dicunt assensum esse, conscientiam non solum differre à synteresi ex parte objecti, sed etiam quia altera in actu, altera verò in habitu consistit.

Resp.

29. Respondeo secundò, & fortè melius concessâ majori, & minori, negando consequentiam; diversa ratio est, quia synteresis ex vi nominis non significat necessariò actum, cum sit lumen intellectus, quod circa omnia principia practica versatur, & in illâ universalitate propriè convenit habitui, & non actui. Deinde significatio synteresis deducitur ex significatione verbi *syntereo*, à quo synteresis deducitur; *syntereo* autem idem est, quod *conservo*, & cum conservatio dicat permanentiam, quæ est propria habitui, inde est, quod synteresis habitum propriè significet, & non actum: at verò conscientia ex sua ratione dicit applicationem scientiæ ad actiones singulares, quæ convenit actibus intellectus circa omnes actiones tam præsentibus, quàm futuris, non verò habitibus, nisi circa præteritas.

30. Argues 3. Acculare, remordere, testificari, &c. sunt actus conscientiæ; ergo conscientia est habitus, & non actus; siquidem actus non est actus alterius actus; neque enim bene dicitur quod ipsum testificari testificetur, ipsum acculare accuset, & sic de aliis; ergo nihil remanet, quod sit conscientia, nisi habitus. Respondeo concessio antecedente, negando consequentiam, ad cuius probationem dicimus, bene posse unum actum esse actum alterius actus, & de illo prædicari, dummodo significantur nominibus accommodatis. Unde licet ineptè dicatur, quod ipsum acculare accuset, ipsum testificari testificetur, quia prædicatum, & subiectum significantur nominibus synonymis, optime tamen dici potest, quod recordatio peccati hominem accuset, & contra ipsum testificetur, cum recordatio peccati sit ipsa accusatio, & testificatio. Deinde sæpè dicimus cogitatio hoc mihi dicit, cum tamen cogitatio sit ipsa met dictio, & actus intellectus; ergo iidem actus possunt aptè tribui conscientiæ, quia vocabula non sunt synonyma; licet enim significant idem in re, non tamen sub eisdem respectibus, aut saltem non sub eadem formalitate, & expressione, quod sufficit, ut prædicationes ineptæ non censentur.

31. Pro secundâ sententiâ: Obijcies 1. Conscientia ex vi nominis dicit ordinem scientiæ ad aliquid; siquidem conscientia est cum alio scientia; sed applicatio scientiæ ad aliquid, fit per aliquem actum; ergo conscientia est actus, & non habitus. Respondeo distinguendo minorem: fit per aliquem actum, quando scientia non est applicata; concedo minorem: quando applicata est; nego minorem: Unde argumentum solum probat, quod habitus versantes circa actiones præsentibus, & futuras indigeant applicatione, utpote qui per se non applicentur ad tales actiones, sed per suos actus: non tamen probat, quod habitus intellectus versantes circa actiones præteritas egeant applicatione factâ per actus; siquidem hi habitus, cum sint memorativi, ex se jam sunt applicati ad actiones præteritas, non minus quàm sint actus. Unde constat conscientiam indifferenter accipi pro actu, vel pro habitu.

32. Obijcies 2. Si homo habeat hoc iudicium: Non est mentiendum: & contra illud operetur, contra conscientiam operatur, ut omnes dicunt; & tamen ibi non datur habitus infusus, vel acquisitus, ut suppono; ergo conscientia non consistit per se in habitu, sed in actu. Respondeo argumentum probare quidem, conscientiam consistere in actu, non tamen ostendere, non consistere etiam in habitu; nam si quis probaret, dari actum

scientiæ independentem à scientiâ habituali, non idèd consequenter probaret, scientiam non consistere in habitu, sicquæ non dari scientiam habitualement.

Obijcies 3. Si conscientia consisteret in habitu, aut consisteret in habitu infuso, aut in acquisito: Non primum, nam conscientia erronea nequit esse habitus infusus, ut communiter docetur; Non secundum, alioquin jam conscientia non posset solâ autoritate dicentis generari, & deponi, nam habitus acquisitus non tam facillè gignitur, aut corrumpitur; ergo &c. Resp. conscientiam circa actiones præteritas esse, non tantum actum, sed etiam habitum acquisitum. Unde quando audimus, quod conscientia deponatur, id intelligitur principalitè de conscientiâ versante circa actus præsentibus, & futuros, quæ quidem conscientia constituitur in actu, & non in habitu intellectus. Quia tamen conscientia deponitur etiam circa actus præteritos, ut quando discipulus existimat, se peccasse in aliquo opere præterito, & ob autoritatem Magistri oppositum docentis deponit illam existimationem, dicendum est in simili eventu ex tali autoritate oriri persuasionem contrariam efficaciorè, ex quâ generatur habitus extinguens habitualement conscientiam oppositam, aut physicè, aut saltem ita impediens, ne producat assensum contrarium, ac si illam omninò dereliquisset.

Obijcies 4. Conscientia ligat, acculat, remordet, &c. sed hæc non in habitum, sed in actum cadunt; ergo &c. Respondeo negando minorem; neque enim sola conscientia, quæ est actus, sed etiam quæ est habitus, ligat, acculat, remordet, &c.

Obijcies 5. Habitibus solum utimur, cum volumus; sed conscientia, etiam nobis reluctantibus, clamat, affligit, & damnat; ergo conscientia est actus. Respondeo nos libere uti habitibus quoad exercitium; non tamen quoad specificationem; siquidem ratione sui motivi sunt determinati ad speciem suorum actuum. Unde quando dicitur, conscientiam, nobis reluctantibus clamare, &c. hoc intelligendum est quoad specificationem actuum, qui dicuntur conscientia, id est, quod voluntas nequeat impedire, quod intellectus hominum non damnet, vel accuset, si iudicet de honestate, & malitiâ actus: non verò intelligitur de exercitio actuum, qui applauditur conscientia; siquidem intellectus impediri potest quoad exercitium suorum actuum, si ve directè, si ve indirectè, sicquæ argumentum ex hoc non probat, conscientiam non esse habitum.

Obijcies 6. Conscientia non est habitus principiorum; hic enim spectat ad synteresim: neque habitus conclusionum universalium circa agibilia, quia hic spectat ad scientiam moralem: neque habitus directivus actionum in particulari; quia hic est prudentia; ergo nullus est habitus, qui sit conscientia. Confirmatur, quia contingere potest, ut quis sit rectè habitus circa agibilia per hos tres habitus, & tamen deficiat in particulari in acta circa objectum honestum, consequenterque circa illud non habeat conscientiam rectam: Et è contra, ut aliquis non habeat prædictos habitus, & tamen habeat conscientiam rectam circa aliquas agibilia in particulari; ergo conscientia est actus, & non habitus. Respondeo dato antecedente, negando consequentiam; neque enim concludit de conscientia circa actiones præteritas, quæ non

tantum est actus, sed etiam species, sive habitus memorativus actionum præteritarum, ut bonæ, vel prævæ sunt, qui habitus diversus est ab habitibus primi principii, & conclusionis; itemque ab habitu directivo actionum in particulari. Et hinc deducitur, quid dicendum sit ad confirmationem; sed de his infra.

SECTIO III.

Traduntur nonnullæ divisiones Conscientiæ.

37. **P**rimò dividitur conscientia in veram, & falsam. Ita *P. Soar. cit. d. 22. sect. 2. num. 2. Malder. d. 82. §. Dico 8. P. Valent. d. 2. q. 14. punct. 4. §. Porro. P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica, sect. 2. n. 10. Lorca d. 26. §. Porro.* Qui duo ultimi eandem etiam dividunt sub aliis terminis synonymis, nimirum in conscientiam rectam, & non rectam, sive errantem, vel erroneam.
38. Non placent: primò, quia talis divisio utilis non est, nam licet veritas conscientiæ rectæ, quæ est iudicium certum, agnoscibilis sit, & falsitas conscientiæ erroneæ, & improbabilis, nulla tamen dignosci potest in conscientia probabili, quia sæpius id, quod est falsum, ut probabilius iudicatur; ac proinde hæc divisio per se non inservit ad discernendum, quæ regulæ sint observandæ in conscientia sequendâ. Secundò, quia voces, quæ apponuntur ut synonymæ, tales non sunt; siquidem conscientia recta non est quodlibet iudicium verum, sed solum certum: neque conscientia erronea est solum iudicium falsum, sed etiam firmum sine formidine partis oppositæ. Tertiò, quia hæc divisio non est adæquata; siquidem dubium, & scrupulus sunt conscientiæ; nec tamen sunt veræ, aut falsæ.
39. Secundò dividitur conscientia in bonam, & malam. Ita *P. Sal. cit. licet per alios terminos, quatenus conscientiam dividit in rectam, puram, seu bonam, & in fordiam, inquinatam, impuram, seu malam. Et Cordub. lib. 3. quest. 3. punct. 2. eam dividit in bonam, puram, & synceram; & in malam, inquinatam, & cauteriatam.* Competit autem hæc divisio conscientiæ, prout versatur circa actiones præteritas. De cauteriatâ conscientia mentionem fecit D. Paulus. 1. Tim. 4. de quibusdam peccatoribus scribens: *Cauteriatam habentes conscientiam.* Dicitur autem *cauteriata*, sicut inquinata, non subjectivè, sed objectivè; sicut enim inquinatio subjectatur in voluntate, ita & cauterium metaphoricè acceptum, quod per conscientiam representatur, sicque est in conscientia objectivè, non verò subjectivè. Nam ut optime declarat D. Thom. *P. Cornel. & P. Justinian.* ad locum cit. D. Paul. Conscientia cauteriata est ex quâ falsa, atque impia dogmata, tanquam ex igne perverfarum passionum exeunt, quasi sanies, & putredo ex cauterio est.
40. Tertiò dividitur conscientia in securam, pacatam, tranquillam, sive quietam, & in inquietam, conturbatam, sive perturbatam. Ita *P. Cordub. cit. P. Sal. cit. n. 12.* Potest tamen dupliciter intelligi aut formaliter, aut causaliter. Conscientia causaliter secuta, pacata, &c. tunc datur, quando in corde generatur pax, & quies absque timore, qui animam cruciet: Inquietam verò &c. est, quæ propter notitiam peccatorum animam affligit timo-

ribus, & sæpe in desperationem trahit. Conscientia formaliter quæta, tranquilla, &c. est, quando de actionibus, earumque bonitate, aut malitiâ iudicat determinato assensu absque dubitationibus, aut si forte dubitationes aliquot insurgunt, non difficilè abijciuntur. Turbata verò, aut perturbata conscientia formaliter est, quando propter rationes dubitandi intellectus neutri parti hæere potest per assensum, vel si ei assentitur, est cum dubiis, & scrupulis, quos difficilè potest abigere.

Quartò dividitur conscientia in eam, quæ versatur circa actiones præteritas, utrum scilicet factæ sint, an non: vel utrum bonæ, aut malè fuerint factæ: & in eam, quæ tendit in actiones futuras, utrum bonæ, vel malè faciendæ sint. Ita *D. Thom. q. 17. de verit. art. 1. Cordub. lib. 3. quest. 3. punct. 3. P. Soar. cit. sect. 2. initio, P. Valent. d. 2. quest. 14. punct. 4. §. Porro.* Colligit autem D. Thom. divisionem istam in hunc modum.

Conscientia est quasi cum alio scientia; applicatio verò scientiæ ad aliquem actum particularem tripliciter fit: Primò recognoscendo, fuerit ne factum opus aliquod juxta illud Eccles. 7. *Scit enim conscientia tua te crebro maledixisse aliis;* & prout sic conscientia dicitur testificari. Secundò applicatur recognoscendo opus factum, fuerit ne bonum, an malum; & prout sic conscientia dicitur excusare, accusare, vel remordere. Tertiò applicatur recognoscendo, vel iudicando aliquid esse, aut non esse faciendum; & prout sic conscientia dicitur ligare, aut infligare.

Alii tamen huiusmodi divisionem assignant per duo membra. Ita *P. Sal. cit. n. 9. Lorca sect. 2. d. 36. §. Porro.* Dicunt enim, conscientiam aliam esse de actionibus præteritis: aliam de futuris posterius tempore, vel naturâ. In quo videntur significare primam illam conscientiam non aded inservire ad institutum Theologicum, quod solum est agere de conscientia in ordine ad mores instituendos; sed prior illa conscientia versatur circa actiones humanas secundum esse physicum; non autem prout honestæ, aut prævæ sunt; ergo &c.

Confirmatur primò, quia conscientia de futuro non est duplex, una per quam iudicetur, sit ne aliquid agendum; & altera per quam iudicetur id, quod agendum est, sit ne opus honestum, aut pravum; ergo neque conscientia de præterito duplex erit. Secundò, quia locus Ecclesiæ, cit. quem D. Thom. accommodat priori conscientiæ, manifestè loquitur de opere pravo, nempe de maledicto; ergo conscientia de actionibus præteritis versatur circa illas non secundum esse physicum, sed prout bonæ, aut malæ sunt. Tertiò, quia id colligitur ex voce testificationis, & testimonii, quod dicit ordinem ad iudicium divinum, in quo secundum modum loquendi SS. Patrum conscientia nostra est inter Deum, & nos; constat autem ad hoc iudicium non pertinere, nisi opera bona, vel mala; ergo &c. Quartò, quia prædicata, quæ attribuuntur posteriori conscientiæ de præterito, attribuuntur etiam priori, & è contra, ut consideranti patebit; ergo &c.

Nihilominus licet huiusmodi divisio tradita per duo membra videatur magis accommodata, prout tamen traditur à D. Thom. ex eo, quod non sit aded rigorosa, non debet improbari: præsertim cum sit in re morali, quæ logicum rigorem non exposcit. Adversus tamen hic, quando dicimus, conscientiam esse de actionibus, posse ita intelligi de actionibus, ut non excludatur earum objectum.

Dices

46 Dices: Conscientia erronea, & improbabilis applicari non possunt actionibus præteritis; neque enim apparet, quomodo applicentur; ergo prædicta divisio non est utilis. Respondeo primò, non esse opus, ut omnia membra conscientie applicari possint actionibus præteritis, sed satis esse, quòd aliquod applicetur, ut divisio sit bona. Secundò, omnia membra conscientie aptè posse applicari actionibus, non solum futuris, ut patet, sed etiam præteritis; nam actiones præteritæ agnoscì possunt per omnes conscientias; possunt enim agnoscì certò, & evidenter, per errorem, probabiliter, & improbabiler, cum dubio, & scrupulo.

47 Dividitur quintò, Conscientia in rectam, errantem, probabilem, improbabilem, dubiam, & scrupulosam: Hæc divisio utilissima est, & omninò necessaria in præsentia. Ita P. Savellus lib. 1. decal. cap. 9. num. 1. & 2. P. Pal. tom. 1. tr. 1. d. 1. punct. 1. n. 2. P. Fillii. tract. 21. cap. 4. num. 115. & alii. Conscientia recta tunc datur, quando cognitio est certa certitudine ortâ vel ex evidentiâ, vel ex fide: Conscientia erronea, quando cognitio est falsa cum firmâ adhæsiōne intellectûs. Probabilis, quando cognitio est formidolosa, sed nititur rationabili fundamento, & sufficiente: Conscientia improbabilis, quando cognitio similiter formidolosa nititur levi, & insufficiente fundamento: Conscientia dubia, quando intellectus est anceps neutram partem judicando: Conscientia denique scrupulosa tunc datur, quando in assensu pro unâ parte intellectus habet pro alia parte dubitationem, & formidinem ex levis fundamentis.

48 Obijcies 1. Conscientia est judicium, firmaque credulitas de bonitate, vel malitiâ actûs, ut colligitur ex vocabulo Conscientia, quod componitur ex scientiâ; sed dubium, & scrupulus non ita se habent; ergo conscientia non bene dividitur in dubiam, & scrupulosam. Respondeo primò cum P. Valent. d. 2. q. 14. punct. 4. S. Atque hæc P. Sal. cit. num. 12. Cordub. lib. 3. q. 5. proposit. 4. dubium, & scrupulum non esse propriè conscientiam. Melius tamen.

49 Respondeo secundò cum P. Soar. cit. d. 12. sect. 2. num. 7. opinionem, dubium, & scrupulum, licet non tam propriè sint conscientie, ut est conscientia recta, nihilominus esse simpliciter conscientias, ut constat ex Doctorum lectione, qui passim ita nomine conscientie utuntur, cum de illis mentionem faciunt. Confirmatur, quia magis distat judicium erroneum à conscientia rectâ, quàm cæteræ quatuor cognitiones; sed judicium erroneum appellatur simpliciter conscientia; ergo & cæteræ cognitiones. Hæc tamen materia non est magni ponderis: quid enim refert, quòd hujusmodi cognitiones dicantur conscientie simpliciter, aut secundum quid?

50 Obijcies 2. Conscientia, seu judicium temerarium non continetur in sex membris dividendis; ergo divisio non est adæquata. Respondeo primò cum P. Sal. cit. n. 12. P. Soar. cit. num. 8. negando antecedens; dicunt enim, conscientiam temerariam non esse distinctam ab scrupulosa; sicut enim conscientia scrupulosa ex immodico timore, & levi conjecturâ ducitur ad credendum, esse peccatum, quod revera non est, ita conscientia temeraria ex immodicâ audaciâ judicat honestum, quod peccatum est; quæ ratio assentiendi, cum sit eadem, non variat conscientie modum.

51 Respondeo secundò negando idem antecedens, conscientia enim temeraria coincidit cum

erroneâ, & improbabili culpabilibus culpâ crassâ; siquidem conscientia scrupulosa non importat assensum circa eam partem, de quâ est scrupulus: temeritas autem non datur, nisi in assensu, qui fertur ultra id, quod postulant fundamenta, sicque non sine culpa.

52 Obijcies 3. Conscientia suspitiosa ad nullum ex assignatis membris spectat; ergo divisio illa non est adæquata. Respondeo negando antecedens; pertinet enim ad conscientiam dubiam; datur enim quando intellectus est anceps, inclinatur tamen magis in unam partem, cui termino non assentitur per judicium; sicque suspitio non tollit dubitationem ab intellectu, sed tantum addit inclinationem majorem in unam partem.

Hinc colliges suspensionem, sive judicium temerarium de alieno peccato sæpè non esse peccatum mortale; siquidem ut detur peccatum judicii temerarii, requiritur, quòd detur judicium sine sufficientibus indiciis, ex plena deliberatione, & sine ullâ formidine; quæ omnia rarò concurrunt in judicantibus temerè; communiter enim judicant cum formidine de opposito; nullum autem judicium absque certitudine est peccatum mortale, ut docet D. Thom. & alii apud Dian. p. 3. tr. 50. resol. 31.

54 Dividitur sextò conscientia in practicam, & speculativam. Tres invenio modos explicandi hanc divisionem: Primus est aliquorum Recentiorum, qui pro se allegant P. Vasq. 1. 2. d. 59. cap. 1. Docent enim hujusmodi divisionem esse accommodatam, licet fiat de ultimo judicio, quod est propriè conscientia; siquidem, inquirunt, illud, quod tendit in præteritum, est simpliciter speculativum ex eo, quòd sit memoria: illud autem, quod versatur circa futurum, est absolute practicum, quia attingit, & dirigit actionem. Non placet hic explicandi modus; dubito enim: utrum omnis conscientia, quæ versatur circa actiones præsentis, & futuras sit judicium practicum, de quo infra.

55 Secundus modus explicandi divisionem conscientie in practicam & speculativâ est eorum, qui docent, conscientiam practicam significare actum intellectûs, qui aut sit dubium, aut honestum judicium de actione, quòd sit bona, vel mala; faciendâ, aut omittendâ: Conscientiam verò speculativam significare actum intellectûs judicativum, aut dubitativum, qui sit de facto aliquo, aut re, quæ se habeat antecedenter, & quasi fundamentaliter ad bonitatem, vel malitiam actionis. Ut circa rem, an sit propria, vel aliena; quod prævium est ad hoc, ut illius usus licitus sit, vel illicitus: Circa matrimonium: utrum sit validum, an non? ex quo tanquam à priori oritur jus petendi, & reddendi debitum. Ita Covar. regul. peccatum, part. 3. num. 4. Medin. 1. 2. q. 19. art. 6. dub. 4. Cordub. lib. 3. q. 5. Salon. 2. 2. q. 5. de dominio, art. 7. §. Observamus, 4. Sot. in 4. dist. 24. quest. 1. art. 3. §. Imò verò. Henric. lib. 12. cap. 6. §. 6. P. Valent. tom. 3. d. 5. quest. 6. punct. 9. §. Secunda sententia, & alii.

56 Hanc divisionem ita explicatam censeo perutilem in re ipsâ; siquidem in illa multorum objectorum diversitas declaratur, quod maxime inservit ad noticiam bonitatis, & malitiæ actionum humanarum: itemque ad varias difficultates enodandas. Signanter dixi in re ipsâ, quia appellatio membrorum hujus divisionis non est tam propria; siquidem membrum, quod dicitur practicum, aliquando est speculativum; judicium enim, quo actio judicatur honesta, aut prava, licita, aut illicita,

illicita, speculativum est, cum tamen juxta prædictam divisionem practicum appellatur.

57. Tertius modus est *Caiet. tom. 1. opusculor. opuscul. 17. respons. 13. dub. 7. Navar. cap. si quis autem, de Penit. dist. 4. num. 61. P. Mol. de just. tract. 2. d. 113. §. 3. conclus. P. Soar. tom. 5. in 3. part. d. 40. sect. 5. num. 14. & 15. & aliorum quos citat & sequitur P. Sanch. lib. 2. de matr. d. 41. quest. 1. n. 4. & lib. 1. de cal. cap. 9. n. 3.* dicunt enim, quod conscientia speculativa sit illa, quæ in communi dicitur certò, & evidenter aliquid esse faciendum, aut esse peccatum, v. g. contractum esse usurarium, aut esse illicitum accedere ad non suam: & opinio speculativa sit illa, quæ in communi dicitur non certò, sed cum formidine: dubium autem, quando in communi dubitatur, dicitur verò dubium rei, aut scientia, aut opinio rei secundum se. Conscientia verò practica, ut dicunt, est illa, quæ in singulari, & perpenis omnibus circumstantiis rei, dicitur aliquid hic & nunc esse licitum, aut illicitum: & opinio, aut dubium, quando quis opinatur, aut dubitat, an hic & nunc sit licitum, aut illicitum; appellaturque scientia, opinio, aut dubium rei in particulari respectu operantis.

58. Addunt prædicti Authores, licet judicium dicatur oppositum esse agendum in communi, aut sit de eo dubium, adhuc per judicium particulari, quo aliquis judicat hic & nunc sibi licitum esse operari, regulari actionem honestam; siquidem, ut dicunt, non repugnat, quod detur in intellectu judicium; siue dubium speculativum pro una parte, & practicum pro altera contraria; possum enim (ut ait *P. Sanch. cit. de matr. num. 5.*) scire in communi, non licere rem alienam capere; & tamen in particulari hic, & nunc mihi licere, quia extremè indigeo. Similiter possum dubitare, utrum in die festo liceat iter facere, & perseverante tali dubio, judicare certò, aut probabiliter practice, quod hoc die festo mihi liceat iter facere, & è contra. Ita expressè Doctores cit.

59. Confirmat *Navar. cit. num. 63.* duplici exemplo: primum est, quia quilibet Christianus credit omnia, quæ in sacra Pagina continentur; an verò Tobias canem habuerit, multi dubitant, licet illud scribatur *Tob. 5.* Secundum est, quod aliqui rustici in die festo iter faciunt absque scrupulo, quibus si interrogetur, utrum in die festo id licitum sit, statim incipient dubitare.

60. Hunc explicandi modum impugnat *Lorca d. 38. membr. 1. §. Hanc sententiam, & d. 39. membr. 1. §. Est tamen.* affirmando talem modum esse ineptum, tam quoad appellationem, quam quoad doctrinam. Probat, quia propositio universalis, & particularis ejusdem prædicati habent eandem rationem quoad practicum, & speculativum; nam si utraque sit de operatione exercenda, aut modo in ea servando, utraque propositio, seu judicium est practicum, ut patet in his: *Omne mendacium execrandum est: hoc mendacium hic & nunc est execrandum: Omne Sacramentum celebrandum est cum devotione: hoc Sacramentum celebrandum est cum devotione:* Si verò utrumque judicium sit de alio prædicato, quod non sit operatio, aut modus ipsius, utrumque est speculativum, ut patet in his: *Omne matrimonium est licitum: hoc matrimonium est licitum: Omnis usura est peccatum: hac usura est peccaminosa.* Accedit, quod ex hac sententia sequitur, actus synteresis scientiarum moralium, & artium non esse practicos; siquidem tendunt in objecta universalia, quod tamen dici non potest.

61. Deinde illud, posse scilicet in eodem intellectu

conjugi judicium universale, & dubium particulare, & è contrà, sub eisdem terminis, non approbant multi. Et ratio est, quia aut illæ propositiones, quarum una particularis est, & altera universalis, constant eisdem terminis, aut diversis: si primum, non intelligitur quomodo talis contrarietas reperitur in eodem intellectu; alioqui jam intellectus formaret assensum, & dissensum; esset certus, & incertus de eodem objecto, quod implicat: Si secundum, tunc doctrina illa est vera, sed non accommodata; siquidem mutatis terminis, principiis, aut circumstantiis, si datur varietas in judicando, aut dubitando, id non provenit ex ratione particularis, & universalis, sed ex alia diversitate; quod probatur, quia si accipiantur duæ propositiones constantes eisdem terminis, quæ solum distinguantur in eo, quod una constet termino universali, & alia singulari, hujusmodi propositiones eodem modo judicari debent, vel cum eodem dubio, vel cum eadem certitudine, ut statim apparebit, ergo &c.

Neque obstant exempla à *Navar. cit. adducta* 62. Ad primum enim optime respondet *P. Vasq. cit. c. 5. §. Duo autem.* ideo illud contingere, quia ille, qui certus est de universali, ignorat an singulare illud contineatur in sacra Pagina, quod si non ignoraret, non posset de illo dubitare, nisi etiam haberet dubitationem de propositione universali; tunc autem contingit ignorari, propositionem singularem contineri sub universali, quando non est expressè de eodem prædicato, & subiecto, ut non est in exemplo adducto; siquidem Tobias habuisse canem est propositio constans prædicato & subiecto diverso, atque illa universalis: *Quidquid continetur in Scriptura verum est.*

Ad secundum etiam rectè respondet idem *P. Vasq. cit. §. Alterum.* non ideo illud contingere, quia simul qui certus sit de singulari contento sub universali, dubius sit de universali, hoc enim implicat, sed, ut inquit, ita solet accidere, quia rustici, qui aliquando sine dubio operantur, cum interrogantur de eo, quod faciunt, an illud universum sit licitum? incipiunt dubitare, eo quod ipsa interrogatio eis difficultatem ingerit; siquidem eo ipso, quod alii interrogant, de eâ re dubitare videntur. Tunc autem non solum dubitant circa propositionem universalem, sed etiam singularem, id est, non solum dubitant, an illud omnibus universum sit licitum, sed etiam an sibi specialiter liceat, quia vident eandem efferationem.

Unde circumstantiæ illæ, quæ conducunt ad mutandum judicium circa actionem in particulari, debent etiam considerari in actione communi, ut cernitur in exemplo, quod attulit *P. Sanch. cit.* nam sicut mihi extremè indigenti licet hic & nunc capere alienum; ita licitum erit capere alienum in communi considerando eandem circumstantiam: si autem in aliquo casu particulari non liceat acceptio rei alienæ, quia v. g. dominus rei est etiam in extremâ necessitate, tunc propositio universalis, quod nunquam sit licita acceptio rei alienæ extremè indigenti, quando dominus laborat eadem necessitate, est etiam vera. Quæ doctrina applicari debet ad alia exempla. Per hoc tamen non tollitur, quod contraria sententia sit probabilis ob auctoritatem Doctorum.

SECTIO IV.

In quonam habitu constituitur
Conscientia habitualis essentia?

65. **D**IFFICULTAS esse potest, aut de habitu, qui versantur circa actiones præteritas; aut de habitibus elicentibus actus, qui sunt formaliter Conscientiæ: De prioribus dicendum est, habitum, in quo formaliter constituitur conscientia habitualis, esse speciem memorativam; seu qualitatem quandam similem speciei memorativæ, quæ quidem qualitas est effectus actionis præteritæ illi applicatus, inclinaturque intellectum ad memoriam ejusdem actionis, non præcisè sub ratione esse physica, sed etiam moralis. Non disputo hic ad quam speciem qualitatis pertineat hujusmodi qualitas, quia hoc est merè philosophicum.

66. Circa habitus posteriores: Resolutio sit: Hi habitus, neque sunt conscientia formaliter; neque sunt unicus tantum habitus. Ita Doctores supracitati num. 24. & 25. & quoad secundam partem D. Thom. quest. 17. de verit. art. 1. fine. Richard. in 2. dist. 39. art. 2. q. 2. P. Soar. d. 12. sect. 1. num. 8. P. Sal. 1. 2. sect. 1. cit. num. 8. P. Vafq. d. 59. cap. 5. Imprimis. Lorca d. 36. §. Ex his. Malder. d. 82. §. Dico 7. & alii. Probatur 1. pars ex dictis sect. 2. n. 25. Confirmatur, quia conscientia, ut supra diximus, est cum aliquo scientia, hoc est, applicatio scientiæ; sed tales habitus ex se non applicantur, constituuntque potentiam in actu primo ad actiones præteritas & futuras; ergo non sunt conscientia formaliter. Probatur 2. pars, quia habitus distinguuntur per actus; sed actus sunt specie diversi, ut patet in actu erroneo, & scientifico, seu recto, &c. ergo non oriuntur ab unico habitu, sed a pluribus.

67. Argues 1. contra primam partem: Habitus concurrentes ad scientiam actualem, sunt scientia habitualis; ergo etiam habitus concurrentes ad conscientiam actualem erit conscientia habitualis. Respondetur negando consequentiam; nam conscientia, ut diximus, est quasi cum aliquo scientia, id est, scientia applicata; hoc autem non competit prædictis habitibus, ut diximus.

68. Argues 2. Eadem est ratio de specie, five habitu memorativo circa actiones præteritas, ac circa præteritas, & futuras; sicut enim ille respicit actiones præteritas, ita hic præteritas, & futuras; ergo aut tales species, vel habitus sunt conscientia respectu omnium actionum; aut nullo modo sunt conscientia. Respondetur negando antecedens; neque enim eadem est ratio de specie, seu de habitu memorativo respectu omnium actionum; nam respectu præteritarum, cum sit illarum memorativus, & effectus, ex se jam est applicatus, ut etiam sunt effectus suis causis: at verò applicationem hanc ex se non vendicat respectu actionum præsentium, & futurarum, quarum comparatione habet virtutem causativam, quæ sæpissimè non applicatur ad actum, & si aliquando applicatur, hoc fit, non à se, sed ab alio.

69. Argues 3. contra secundam partem: Habitus conscientiæ est unicus tantum, ut fatetur Scot. in 2. dist. 39. q. 2. Cabr. quest. 1. art. 2. conclus. 5. Siquidem conscientiæ munus est dirigere hominem in agibilibus particularibus; hoc autem videtur ad specialem aliquem habitum spectare, nempe ad

Tom. 2.

prudentiam; ergo cum prædicti habitus non sint plures, sed unus cum variis respectibus, hic erit conscientia. Respondetur negando antecedens, ad cujus probationem dicimus, licet ad conscientiam pertineat illud munus, non tamen exerceri eodem modo, & per actus, qui possint ab eodem habitu oriri, ut patet ex dictis; sicque habitus illi sunt plures: licet verò unicus tantum foret, adhuc non esset conscientia respectu præsentium, & futurorum.

Quæres hic: Qui, & qualesnam sint hi habitus? Respondetur primò cum Theologis antiquis, hujusmodi habitus esse omnes, & solos practicos morales, per quos in agendis dirigimur. Non placent, siquidem, cum dentur etiam judicia speculativa, quæ sunt conscientia, ut infra dicemus; actus verò speculativi non eliciantur, nisi ab habitibus speculativis, prædicta responsio non est adæquata.

Secundò respondet Lorca docens, conscientiam formari ex habitu synteris, vel Philosophiæ moralis, & fidei divinæ, aut doctrinæ sapientis alicujus, aut similibus, quin tamen inter hos habitus mentionem faciat de prudentia. Non placet, neque enim est cur à ratione conscientiæ excludamus habitum prudentiæ; nam actus conscientiæ circa agenda sæpissimè elicitur à prudentia, ut tenent P. Sal. sect. 1. n. 8. & P. Vafq. cit. §. Imprimis.

Tertiò respondet P. Valquez cit. Si loquamur, inquit, de conscientia errante inculpabiliter, quæ dicitur aliquid esse agendum, vel non agendum, ad prudentiam spectat; siquidem ut d. 58. cap. 2. fine, docuerat, prudentia etiam versatur circa id, quod existimatur inculpabiliter malum, aut bonum, non quidem ex suis principiis practicis, sed ex principio speculativo, quo juvatur in colligenda conclusionem, ut videre est in hoc syllogismo: *Accedere ad eam, quæ putatur propria uxor, bonum est; hæc putatur propria uxor; ergo ad eam accedere bonum est*: in quo conclusio est falsa invincibiliter, non quatenus per prudentiam colligitur, sed quatenus adjuvatur speculativo intellectu, qui existimat mulierem non propriam esse propriam: Quod si sermo sit (addit P. Vafq.) de conscientia errante culpabiliter, quæ actus prudentiæ esse nequit, tunc non est determinatus habitus, sed variatur juxta diversas materias. Hoc quod dicit de conscientia erroneâ invincibiliter, à fortiori debet intelligere de conscientia rectâ. Non etiam placet, siquidem hæc doctrina non assignat omnes habitus; nam multi actus, qui versantur circa actiones in communi, dicuntur conscientia, ut constabit ex Sect. sequent. qui tamen ad prudentiam non spectant; ergo nè doctrina illius diminuta foret, deberet assignare alios habitus præter prudentiam.

Quartò respondent P. Soar. cit. d. 12. sect. 1. n. 8. & P. Sal. cit. num. 8. assignando, prudentiam, synteris, scientias morales, utramque fidem, opinionem, & habitus erroris diversos pro diversitate materiæ, & modi procedendi esse principia actuum, qui sunt simpliciter conscientia. Non placent etiam; siquidem adhuc hæc doctrina diminuta est; nam præter habitus assignatos numerari possunt habitus Theologiæ, per quos multa proponuntur voluntati diligenda, aut repudianda: habitus donorum Spiritus Sancti pertinentium ad intellectum, qui etiam producant actus regulantes humanas actiones, consequenterque in aliquo proprio sensu significatos nomine conscientiæ: habitus deinde Metaphysicæ, & Physicæ, quibus mediantibus cognoscuntur speculativè multa principia, quæ à scientiis moralibus assumuntur ad inferendas suas conclusiones

B

clusiones practicas, quæ sunt actus iudicativi de malitiâ & bonitate objectivâ rerum.

SECTIO V.

Quisnam sit actus, in quo formalis ratio Conscientiæ actualis consistit?

74. **D**IFFICULTAS I. sit: Utrum actus, qui dicitur conscientia, sit iudicativus: an possit etiam esse apprehensivus? Prima sententia asserit, esse actum iudicativum. Ita D. Thom. in 2. dist. 39.

q. 3. a. 2. & 3. Gabr. ibid. quest. unicâ, a. 2. conclus. 6. P. Vasq. 1. 2. d. 59. cap. 1. §. Deinde. P. Valent. d. 2. q. 4. punct. 4. §. Porro, P. Becan. tract. 1. cap. 4. q. 4. num. 2. & 3. P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 9. num. 1. P. Sal. cit. sect. 1. n. 6. & alii communiter.

75. Secunda nihilominus sententia, quam sequimur, docet, conscientiam non solum esse iudicium, sed etiam simplicem apprehensionem. Ita Malder. d. 82. §. Dico 8. Martinez quest. 19. dub. 1. §. Notandum tamen. & alii Recentiores. Et licet D. Thomas, ac maior pars Doctorum, quos proximè citavi, videantur dissentiri ab hac resolutione; aliqui tamen in re nobiscum conveniunt; siquidem non agunt de omni actu, qui est conscientia: præsertim D. Thom. qui quest. 17. de veritat. art. 1. ad finem corpor. conscientiam circa actiones præteritas appellat memoriam sensitivam, quem putat esse actum apprehensivum. Unde.

76. Probatur primò, quia homo non operatur honestè absque conscientia operis honesti; sed homo sic potest honestè operari cum solo actu apprehensivo de opere bono, ut rectè scribunt P. Vasq. 1. 2. d. 44. cap. 2. P. Petr. Hurt. de Anima, d. 14. sect. 7. & probabile dicunt PP. Conimb. lib. 3. de Anima, cap. 13. d. 4. art. 3. & apud illòs art. 1. tenent Scot. in 2. dist. 6. quest. 1. Gabr. ibid. art. 3. dub. 2. Marsil. in 2. q. 6. art. 1. ergo conscientia est simplex apprehensio.

77. Probatur secundò, quia actus memorativus actionis præteritæ, sive honestæ, sive prave, ordinariè est apprehensivus, qui etiam est sufficiens testificatio de actione honesta, aut prava; consequenterque est conscientia; ergo &c. Confirmatur, quia conscientia, ut diximus sect. 3. num. 47. adæquatè dividitur in sex membra ibidem assignata; sed dubium, & scrupulus non sunt iudicia, sed apprehensiones; ergo conscientia non solum est iudicium, sed etiam simplex apprehensio.

78. Obijcies 1. D. Damascen. lib. 2. de Fide, cap. 12. Conscientiam appellat legem mentis nostræ. Et D. Basil. in Prov. initio. vocat naturale iudicarium intellectus. Et D. Laurent. Justinian. Serm. de D. Marco, docet conscientiam esse iudicium rationis; ergo &c. Respondeo cum D. Thom. 1. part. quest. 27. art. 13. sine, hos priores Patres accepisse Conscientiam improprie pro habitu synteresis, ex quo conscientia dependet; frequens enim est, causam, & effectum sua nomina sibi invicem communicare. Deinde D. Laurent. Justinian. locutus fuit, aut de iudicio formali, aut de virtuali, quod etiam sufficit ad accusandum, &c.

79. Obijcies 2. Effectus conscientiæ sunt remordere, ligare, accusare, excusare, reprehendere, testificari, &c. sed omnes hi sequuntur notitiam iudicativam applicatam ad ea, quæ exercemus; ergo &c.

Respondeo negando minorem; illi enim effectus etiam competunt simplici notitiæ, quæ est iudicium virtuale: imò aliquis eorum notitiæ puræ apprehensivæ, ut remordere.

80. Obijcies 3. Conscientia est quædam fides, ut sumitur ex illo ad Rom. 14. Quod non est ex fide peccatum est: ubi nomine fidei intelligitur conscientia; fides autem iudicium est; ergo &c. Respondeo Apostolum intelligi de conscientia, quæ dirigit actiones, eamque esse iudicium virtuale eo modo, quo statim explicabimus, quod fides aptè nominari potest.

81. Obijcies 4. Eiusdem rei eodem modo apprehensæ possunt dari iudicia contraria in eodem intellectu successivè, v. g. stante hoc objecto eodem modo apprehenso: Manducandum est temperatè: possunt esse conscientia contraria; siquidem intellectus potest modò assentiri, & postea dissentiri; ergo conscientia non est apprehensio, sed iudicium, cum idem numero, aut specie non sibi contrarietur. Respondeo primò, argumentum nihil probare de conscientia dubia, & scrupulosâ, neque de conscientia versante circa actiones præteritas, sed ut plurimum de versante circa præsentis, & futuras.

82. Respondeo secundò etiam non convincere de conscientia versante circa actiones præsentis, & futuras, nisi quando actus apprehensivus est admodum simplex, ut non sit iudicativus, neque virtualiter, nec in proximâ dispositione; siquidem quando talis actus est hoc modo iudicativus, non potest, eo perseverante, dari illa mutatio iudiciorum oppositorum. Accedit, quòd etiam si concederetur illa mutatio iudiciorum, adhuc talis apprehensio posset esse conscientia; siquidem posset movere voluntatem, cum adhuc non daretur iudicium dissentiens tali apprehensioni.

83. Obijcies 5. Scire est differentia iudicii, & non apprehensionis; sed de conscientia habetur Ecclesiast. 7. Scit conscientia tua, &c. ergo conscientia non est apprehensio, sed iudicium. Respondeo etiam simplicem apprehensionem, præsertim virtualiter iudicativam, appellari scientiam. Unde testimonium illud explicatur de conscientia memorativâ circa actiones præteritas, quæ quidem conscientia, licet simplex apprehensio, non ineptè dicitur scientia.

84. Obijcies 6. Conscientia errans, & recta non sunt proprietates notitiæ apprehensivæ, sed iudicativæ; idemque est de conscientia verâ, & falsâ; & tamen per huiusmodi proprietates dividitur conscientia; ergo &c. Respondeo primò, argumentum non procedere de conscientia dubia, & scrupulosâ. Respondeo secundò, licet conscientia, quæ non est formaliter iudicium, non dicatur cum tantâ proprietate recta, erronea, vera, aut falsa, sicut dicitur conscientia formaliter iudicativa, talem tamen dici illam, quæ est iudicativa virtualiter, & in proximâ dispositione; quatenus scilicet apprehensio talis est, ut intellectus sit proximè dispositus, & determinatus ad ferendum iudicium formale.

85. Obijcies 7. Conscientia est conclusio deducta ex duabus præmissis; sed conclusio est iudicium; ergo & conscientia. Minor, & consequentia patent. Probatur major, quia conscientia dicit applicationem scientiæ; est enim cum alio scientia; hæc autem applicatio fit hoc modo; nam intellectus format quandam syllogismum, cujus maiorem præmittit synteresis dictans, omne vitium esse fugiendum; minorem subsumit ratio, nempe detrahere est vitium; Conscientia autem infert conclusionem sic ex præmissis

missis concludens; ergo detrudere fugiendum est; sicque assensus hujus conclusionis appellatur conscientia, quasi concludens ex alio, aut cum alio conscientia; ergo &c. Respondeo negando, conscientiam consistere solum in judicio conclusionis. Unde illa conscientia ethymologia admittenda non est, saltem pro omni conscientia, quod scilicet sit concludens ex alio, sive cum alio conscientia.

86. Quæres tamen hic: quomodo verificetur de omni conscientia, quod sit conscientia applicatio quoad actiones humanas in particulari; siquidem conscientia dubia, & scrupulosa, cum non sint actus judicativi, neque formaliter, neque virtualiter, conscientia dici nequeunt: Conscientia errans, & improbabilis, imò & probabilis, licet sint actus judicativi, habent oppositionem cum conscientia; ergo de omni conscientia non potest verificari, quod sit conscientia applicatio.

87. Respondeo id posse dupliciter verificari: Primo, quatenus per applicationem scientia intelligitur applicatio cujuslibet notitiae, sive simplicis, sive judicativæ; sive certæ, sive formidolosæ; sive veræ, sive falsæ; quod enim apprehendimus, vel judicamus, etiam probabiliter, dicimus nos scire. Secundo, quatenus per applicationem scientia intelligitur notitia certa, quæ censetur applicari per notitias illas, etiam falsas, & apprehensas, quatenus aliquo modo scientiam participant, aut per realem dependentiam, aut per similitudinem, sive in modo, quo scientia deducitur à præmissis, ut conscientia errans, sive in terminis, qui per simplicem notitiam connectuntur, quorum connexio judicativa spectat ad scientiam.

88. Difficultas 2. Utrum conscientia illa, quæ est judicium, sit judicium practicum: an speculativum? Prima sententia ait, esse judicium practicum. Ita Bannez. 1. p. q. 79. art. 13. Pezant. q. 19. art. 6. dub. 1. §. Videtur. Secunda sententia defendit, aliquando esse judicium practicum, aliquando speculativum. Ita P. Soar. cit. sect. 2. num. 1. P. Becan. tract. 1. cap. 4. quest. 4. num. 2. P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 9. num. 3. Tertia sententia asserit, conscientiam circa actiones præteritas esse judicium speculativum: circa præsentem verò, & futuras esse judicium practicum. Ita P. Vasq. cit. d. 59. cap. 1. §. Deinde. P. Sal. cit. sect. 2. num. 9. sine. Quarta sententia tenet, conscientiam esse judicium simul speculativum, & practicum. Favet Albert. 2. part. sum. de Deo tr. 16. q. 99. membr. 3. art. 1. quest. 2. licet hic Doctor nomine conscientia intelligat habitum, nam cum sit eadem ratio de actu, idem de illo diceret.

89. Dico 1. Conscientia judicativa, quæ versatur circa actiones præteritas est judicium speculativum. Ita Doctores secundæ, & tertiæ sententiæ. Probatur, quia judicium practicum est causa efficiens praxis, sive operationis, in quam tendit, ut docuit Philosophus 3. de Anima, text. 49. & 6. Met. text. 1. & 6. Ethicor. cap. 2. Sed conscientia quæ versatur circa actiones præteritas, nequit esse eorum causa efficiens, cum sit illis posterior; ergo talis conscientia non est judicium practicum, sed speculativum.

90. Obijcies 1. Conscientia est quasi cum alio scientia, quatenus est applicatio ad praxim, sive operationem, prout est illius directiva; sed hoc proprium est judicii practici, non speculativi; siquidem hoc consistit in contemplatione veritatis, quin se extendat ad executionem operis; ergo nunquam conscientia est judicium speculativum. Respondeo Conscientiam esse quidem applicationem

Tom. 2.

ad humanas actiones, non tamen semper esse eam directivam, qualiter est judicium practicum; aliquando enim non est illarum directivum, qualiter non est judicium circa actiones præteritas, quarum non est practicum, sed speculativum.

Obijcies 2. Conscientia dicitur regula humanarum actionum quoad honestatem, & malitiam, sed cognitio speculativa non ita se habet; sicut enim non est regula artefactorum, ita neque actionum humanarum; ergo hoc est proprium cognitionis practicae; consequenterque conscientia est cognitio practica, & non speculativa. Respondeo negando majorem; neque enim necessarium est, quod conscientia de actionibus præteritis sit regula. Adidit neque argumentum concludere de conscientia circa alias actiones, præsentis scilicet, & futuras; quia licet conscientia lato modo appelletur regula, quatenus per conscientiam proponuntur voluntati objecta, ex quibus actiones desumunt bonitatem, & malitiam; non tamen dicitur regula strictè, quod scilicet dicet modum servandum in agendo, sicut dicunt regulæ artium, ut statim constabit.

Dico 2. Conscientia judicativa, quæ versatur circa actiones tam præsentis, quam futuras, licet sit judicium practicum, sæpè tamen est judicium speculativum. Ita Doctores secundæ, & tertiæ sententiæ, & expressè P. Sanchez cit. Prima pars constat ex dictis, & constabit ex dicendis. Probatur secunda pars. Primo, quia conscientia aliquando non tendit in operationem, neque in praxim; hæc enim judicium: Deus est summè bonus: Damnati in inferno sunt mali: sunt veræ conscientia, & circa actiones præsentis; & tamen hujusmodi judicia sunt speculativa, & non practica, cum neque ad operationem, neque ad praxim terminentur; ergo conscientia sæpè est judicium speculativum.

Probatur secundo, quia judicium practicum debet esse dictamen de operatione absolute faciendâ, aut de modo, quo fieri debet, ut omnes concedunt, & eruditè ostendit P. Gil. 1. tract. 5. cap. 4. & 5. Sed conscientia, quæ versatur circa actiones præsentis & futuras, sæpè non est hoc dictamen; siquidem sæpè actus judicativus, qui habet pro objecto actionem præsentem, aut futuram, talem actionem non dicat, neque modum ejus, ut ab ipso judicio mensurabilem, ut patet in his: Restitutio alieni est, & erit honesta: homicidium est, & erit prævium: quæ judicia non censentur practica, ut docet P. Gil. cit. cap. 4. num. 7. cum tamen verè, & propriè sint conscientia; ergo &c.

Oppones 1. contra primam partem: Nemo operatur contra actuale judicium practicum; sed multi operantur contra propriam conscientiam; ergo hæc non est judicium practicum. Probatur major, quia judicium practicum tunc necessitat voluntatem ad operandum; ergo &c. Respondeo negando majorem, ad cujus probationem dicimus, judicium practicum de eligendo medio necessario, quando præcedit intentio efficax finis, necessitare voluntatem: non ita tamen si sermo sit de judicio, quo intellectus discernit de bonitate, aut malitiâ operationis hinc, & nunc exercendæ; hoc enim judicium, quod est propriè conscientia, non necessitat voluntatem.

Obijcies 2. pro quartâ sententiâ: Conscientia est conclusio deducta ex uno principio practico, & altero speculativo, ut patet in hoc syllogismo: Quod honestum & debitum est, faciendum est à Religioso: sed hic, & nunc obedire honestum, & debitum est: ergo hic, & nunc obediendum est: in quo Major

B 2

est

est practica; minor autem speculativa; ergo conclusio, siue conscientia debet esse simul practica, & speculativa, cum non detur maior ratio, cur potius sit iudicium practicum, quam speculativum. Respondeo primò ex dictis principiis sequi conclusionem, aut practicam, aut speculativam, non verò mixtam.

96. Respondeo secundò negando antecedens, ut videre est in casibus, in quibus supra ostendimus, conscientiam aliquando esse iudicium speculativum. Et appono exemplum in sequenti syllogismo: *Omne id, quod habet privationem rectitudinis, est pravi-um; sed homicidium habet privationem rectitudinis: ergo homicidium pravi-um est.*

SECTIO .VI.

De Objecto Conscientie, quod, & quale sit?

97. **D**IFFICULTAS I. Utrum objectum materiale conscientie necessariò sit aliqua actio humana? Affirmat communis sententia, ut videre est apud P. Sal. cit. sect. 1. num. 6. Anton. Perez certam. 10. cap. 7. P. Becan. tract. 1. cap. 4. q. 4. num. 2. Lorca d. 36. §. Tandem. Negativa tamen sententia tenenda est. ita P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 9. num. 1. & alii, quos tacito nomine refert P. Sal. cit. assignantes pro iudicio conscientie illud, quo aliquis iudicat rem ut propriam, aut alienam; honestam, aut pravam.

98. Probatur, quia omnis actio humana honesta, aut prava moraliter, habet dependentiam à conscientia, ut communiter dicitur; sed multæ sunt actiones honestæ, & pravae sine cognitione terminatæ ad ipsas actiones ut ad objectum; ergo objectum materiale conscientie non semper, neque necessariò est actio humana. Probatur Minor, quæ sola eget probatione, in hunc modum, quia homo ex apprehensione Divinæ Bonitatis aliquando elicit actum amoris Dei, quin aliquam faciat reflexionem supra talem actum, aut alias actiones humanas: Similiter ex apprehensione inimicitie sæpè odio habet inimicum absque reflexione supra ipsum odium, sicque de aliis; ergo &c.

99. Confirmatur ratione, quia bonitas, & malitia actus interni desumitur ex objecto, quod intellectus proponit voluntati; sed non solum actiones humanæ, sed & alia objecta, quæ actiones non sunt, continent bonitatem, aut malitiam objectivam, in quam tendunt actus voluntatis; ergo de his objectis, quæ non sunt actiones humanæ, dabitur verè, & propriè conscientia; consequenterq; objectum materiale conscientie non est necessariò aliqua actio humana.

100. Argues 1. Conscientia, ut supra diximus, dividitur adæquatè in conscientiam de actionibus præteritis, præsentibus, & futuris; sed non ita adæquatè divideretur, si conscientia haberet aliud objectum, quod non esset actio humana; ergo &c. Resp. distinguendo maiorem: dividitur adæquatè in conscientiam de actionibus præteritis, præsentibus, & futuris, ita ut cum illis numeretur etiam earum objectum; concedo maiorem: ita ut excludatur à membris dividendis; nego maiorem: quod patet ex fundamento nostræ sententiae.

101. Argues 2. Testificari, accusare, remordere, iudicare, dirigere, regulare, incitare, &c. sunt practica, quæ attribuantur conscientie; sed hæc omnia versantur circa actiones humanas, ut patet; ergo

solum hæ sunt objectum materiale conscientie. Respondeo negando minorem: licet enim multi effectus, qui conscientie attribuantur, versantur circa actiones humanas, quales sunt omnes, qui sunt proprii conscientie de præteritis; non tamen omnes effectus ei attributi versantur circa solas actiones humanas, ut patet ex dictis, & in effectibus incitare, dirigere, regulare, & aliis.

Argues 3. Conscientia, ut supra diximus, ex communi Theologorum est quasi cum alio scientia, id est applicatio scientie ad actiones humanas, quod P. Valent. cit. d. 2. q. 14. punct. 4. §. Quod igitur. docet intelligendum esse intransitivè, nempe quod sit scientia de humanis actionibus; ergo solum hæc habent ratione objecti materialis respectu conscientie. Respondeo conscientiam esse applicationem scientie ad actiones humanas, quatenus nimirum scientia de honestate, & malitia objecti, quod actio humana non est, applicatur ad actiones voluntatis, in quantum scilicet conscientia proponit objectum honestum, aut pravi-um per humanas actiones diligendum, aut repudiandum. Unde explicatio illa P. Valent. universaliter intellecta non est admittenda.

Difficultas 2. Utrum actio humana, quæ est objectum conscientie, necessariò sit singularis? Negativè; potest enim Conscientia habere pro objecto actionem in communi, tam secundum rationem specificam, quam genericam. Ita D. Antonin. 1. p. tit. 3. cap. 10. §. 3. Lycher. in 2. dist. 39. & apud illum Scot. Sair. lib. 1. in Clavi cap. 2. fine. Cordub. lib. 3. quest. 1. P. Soar. cit. d. 12. sect. 1. num. 8. P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 9. num. 4. quatenus indifferenter appellat Conscientiam notitiam actionis tam in communi, quam in particulari. Tenent etiam, qui declarando ex quibus principiis colligatur conclusio, quæ est conscientia addunt hoc exemplum: *Omne malum est fugiendum: mendacium est malum; ergo mendacium est fugiendum: fatentur enim hanc conclusionem esse ipsam conscientiam; sed est de mendacio secundum rationem communem; ergo &c.* Adhuc tamen.

Probatur primò, quia si voluntati proponatur per intellectum actio aliqua honesta, aut prava in communi, siue secundum rationem specificam, ut temperatè, aut intemperatè edere; siue secundum rationem genericam, ut bene, aut male vivere, voluntas sine dubio poterit actionem illam, tam in specie, quam in genere appetere; sed tunc dabitur volitio honesta, aut prava, consequenterque conscientia à quâ dependeat, cum non detur alia cognitio, ut suppono, quàm assignata; ergo necessariò fatendum est ad rationem conscientie opus non esse, quod sit de actione singulari, cum jam detur conscientia terminata ad actionem in communi.

Dicent, voluntatem non posse tendere in prædictam actionem in communi, nisi per affectum simplicem, & inefficacem. Sed contra, quia, eo dato, adhuc vim argumenti non effugiunt; siquidem ille affectus, licet simplex, si tendat in objectum honestum, bonus est; si autem inhonestum, est pravi-um; ergo habet dependentiam à conscientia, quæ solum habet pro objecto actionem in communi.

Probatur secundò, quia dari potest ratio conscientie, licet hæc ad actionem humanam non terminetur, & talis actio non cognoscatur, ut patet tum ex supra dictis: tum in actu honesto complacentia, quo quis sibi complacet de Attributis divinis; tunc enim sicut actus honestus voluntatis non habet pro objecto actionem humanam; ita neque

neque illam habet conscientia, cum solum Attributa divina repræsentet; ergo etiam dari poterit Conscientia, quæ non terminetur ad actionem humanam singularem, sed ad solum commune. Confirmatur, quia magis distat Attributum divinum ab actione humanâ singulari, quàm ab illâ distat actio communis; siquidem Attributum non est actio humana, sicut est etiam actio communis; sed Attributum sufficit ad terminandam conscientiam; ergo etiam sic sufficit actio humana in communi.

107. Probatur tertio, quia si conscientia necessariò haberet pro objecto actionem singularem; aut hæc foret propriè, & determinatè singularis; aut individua vaga, & indeterminata: Non primum; siquidem conscientia sapissimè versatur circa actiones futuras; intellectus autem agnoscere nequit hanc numero actionem futuram, cum solum actionem vagè, & indeterminatè percipiat, antequam sit: Non secundum, siquidem iudicium vagum mediat inter singulare, & universale; imò cum magis accedat ad commune, & universale, quàm ad singulare, si actio humana sic vagè sumpta sufficit ad terminandam conscientiam, etiam sic sufficit actio humana in communi; ergo &c.

108. Oppositum tenent D. Thom. quæst. 17. de verit. a. 1. ad 4. Albert. 2. p. sum. q. de Conscient. art. 1. Cajet. 1. 2. q. 19. art. 5. P. Sal. cit. sect. 1. num. 8. P. Valent. cit. d. 2. q. 14. punct. 4. §. Quod igitur. & alii: pro quibus. Obijciens 1. Cum hoc iudicio circa actionem in communi: Non licet capere alienum: stare potest aliud iudicium, nempe: *Mibi extremè egeni licet capere decem aureos*: quos si capiam, acceptio erit licita; sed non potest esse licita, si iudicium illud commune, & universale sit conscientia; siquidem distat, illicitum esse capere alienum; ergo solum iudicium, quod terminatur ad actionem singularem est propriè conscientia. Respondeo primò negando suppositionem, prout supra negavimus à num. 60. quæ negatà, solum manet argumentum: quia tamen probabiliter admitti potest. Respondeo secundò concedendo totum, licet enim in prædicto casu iudicium de actione particulari sit conscientia, dantur tamen alia exempla, in quibus supra ostendimus dari conscientiam de actione in communi.

109. Obijciens 2. Hæc prædicata: *Accusare, excusare, remordere, &c.* solum dicuntur de actionibus in particulari; ergo solum de illis datur conscientia, cui illa prædicata tribuuntur. Respondeo esse quidem aliquot prædicata, quæ necessariò dicunt respectum ad actionem humanam singularem cognitam; negamus tamen id esse necessarium omnibus prædicatis, qualia sunt hæc: *dirigere, incitare, regulare*, quæ competunt conscientiæ terminatæ ad objectum, quod non est actio humana, ut supra diximus; ergo à fortiori competent conscientiæ, quæ versatur circa actionem communem.

110. Obijciens 3. Conscientia est quasi cum alio scientia, quia est applicatio scientiæ ad actiones humanas; sed nō esset talis applicatio, si actiones humane, circa quas versatur, sumerentur in communi, & non in particulari; siquidem synteresis, & scientia moralis habent pro objecto actiones humanas communes; ergo nova illarum applicatio, quæ fit per conscientiam, ad illas in particulari terminatur. Respondeo Conscientiam esse quidem applicationem scientiæ ad humanas actiones, id est, ad actus voluntatis singulares tendentes in actionem universalem, quæ proponitur per conscientiam, ut supra diximus n. 102.

111. Difficultas 3. Utrum quando actio humana est objectum conscientiæ proponi possit voluntati,

tam sub ratione volendæ, aut non volendæ; faciendæ, aut non faciendæ; quàm etiam sub ratione bonæ, aut malæ, ita ut utrumque iudicium sit propriè conscientia? Affirmative. Ita D. Thom. in 2. dist. 39. q. 3. art. 3. Richard. art. 2. q. 1. P. Soar. cit. d. 12. sect. 1. num. 6. Sayr. lib. 1. cap. 2. à num. 67. P. Becan. lib. 1. tract. 4. cap. 4. P. Valent. cit. q. 14. punct. 4. & alii.

112. Probatur prima pars. Primò, quia ad bonitatem, & malitiam humanorum actuum sufficit, quod actio proponatur ut volenda, aut non volenda; efficienda, aut non efficienda; siquidem per tale iudicium sufficienter proponitur bonitas, aut malitia actionis; aliquando enim cognoscitur expressè, vel ex parte subiecti, ut cum dicitur: *Hæc actio bona amanda, aut efficienda est*: vel in obliquo, ut cum dicitur: *Hæc actio amanda, aut efficienda est propter bonitatem*: idemque cum proportionem de iudicio negativo, quando actio non est amanda, neque efficienda; ergo &c.

Confirmatur, quia licet aliquando non tam expressè proponatur voluntati, sufficienter tamen semper proponitur; siquidem quando de actione bonâ iudicatur, quod sit amanda, aut efficienda, vel iudicatur, quod sit necessariò amanda, aut efficienda, & tunc datur iudicium de obligatione, vel præcepto, quod est fundamentum bonitatis, per quod bonitas ipsa sufficienter proponitur voluntati: Vel iudicatur, quod actio sit amanda, aut efficienda, non necessariò, sed ex congruentia, & tunc datur iudicium de congruentia, vel consilio; in quo similiter fundatur bonitas, & per quod implicitè agnoscitur; ergo &c.

114. Probatur secundò, quia quando per conscientiam proponitur voluntati actio ut amanda, aut non amanda, homo operatur bonè, aut malè moraliter; ergo quando actio humana est objectum conscientiæ, potest proponi sub ratione amandæ, vel non amandæ; efficiendæ, vel non efficiendæ.

115. Probatur tertio, quia ut se habet iudicium practicum ad operationes artificiales, ita se habet iudicium conscientiæ, quando est practicum, ad operationes morales; sed iudicium practicum terminatur ad operationes artium, prout efficiendæ, aut exercendæ sunt; ergo etiam iudicium practicum conscientiæ terminabitur ad operationes morales, prout sunt volendæ, aut non volendæ; efficiendæ, aut non efficiendæ.

116. Oppositum tenet Lorca d. 36. §. Tandem, & art. 6. in comment. asserens actionem, quando est objectum conscientiæ, proponi tantum sub ratione bonæ, aut turpis: Pro quo: Obijciens primò. Conscientia definitur ab Origen. lib. 2. in epist. ad Romanos circa medium: *Spiritus corrector, & pedagogus animi, quo separatur à malis, & adheret bonis*. Deinde Conscientiæ tribuuntur varia prædicata, quæ ex D. Thom. 1. part. quæst. 79. art. 13. versantur circa bonitatem, & malitiam moralem; nam *testificatio* est iudicium de actu declarans bonitatem, aut malitiam illius: *ligatio*, & *religatio* sunt manifestatio debiti: *instigatio* est impulsus ad bonum: *excusatio*, *accusatio*, & *remorsus* sunt actus circa malum, accusatio de malo manifesto, & remorsus de occultioris; ergo actio, quando est objectum conscientiæ, solum proponitur sub ratione bonæ, aut malæ; non autem volendæ, aut non volendæ.

117. Respondeo negando consequentiam: ad definitionem Origenis dicimus, ex illâ potius colligi, quod intendimus, quàm infirmari, quod docuimus; siquidem correctoris, & pedagogi est, quod imperando

imperando impellat ad quendam agenda & exercenda, & quod ab aliis refranet. Ad illud, quod adducitur de prædicatis, dicimus, favere sententiæ, quam defendimus, nam directio, obligatio, ligatio, instigatio, & alia prædicata conveniunt conscientiæ prout proponit voluntati objectum, quod scilicet actio sit volenda, aut non volenda; exercenda, aut non exercenda.

118. **Objicies 2.** Actio ita proponitur voluntati per conscientiam, ut communicet bonitatem, vel malitiam actui interno; sed hanc non communicat, quando proponitur, ut volenda, aut non volenda; facienda, aut non facienda; sic enim non magis communicat bonitatem, quam malitiam, quia utroque modo proponi potest, tam actio bona, quam mala; ergo actio, quando per conscientiam proponitur ut objectum, non nisi sub ratione bonæ, aut malæ proponitur.

119. **Respondeo** negando minorem, ad cujus probationem dicimus, quando actio per iudicium affirmativum rationabiliter proponitur voluntati, ut volenda, aut efficienda, sufficienter cognosci illius bonitatem, ita ut talis bonitas communicetur actui interno, per quem est volita, & sit bonus: quando verò actio per iudicium negativum rationabiliter proponitur voluntati, ut non amanda, aut non efficienda, sufficienter etiam cognosci ejus malitiam, ita ut si detur actus persecutivus voluntatis tendens in actionem, quæ ita per conscientiam representatur, ut non amanda, aut non efficienda, talis actus absque dubio sit pravius.

SECTIO VII.

Alie difficultates circa objectum conscientie resolvuntur.

120. **DIFFICULTAS 1.** Utrum objectum conscientie ita proponatur voluntati per ipsam conscientiam, ut hæc semper sit in actu secundo idem objectum representans? **Negative.** Probatur, quia aut sermo est de Conscientia circa actiones præteritas, aut circa præsentis, & futuras; sed nulla ex his est semper in actu secundo; ergo &c.

121. **Probatur minor** quoad primam partem: Primò, quia actus secundus talis conscientie est recordatio actualis actionis honestæ, aut præteritæ, cujus memoria habitualis est actus primus; quis autem non videt, non semper dari in homine memoriam actualem præteritorum; ergo &c. Secundò, quia instigatio ad bonum, & refrænatio à malo, cum sit conscientia, non pertinet ad conscientiam de præteritis, sed tantum de futuris; ergo saltem conscientia de præteritis non semper est in actu secundo. Tertiò, quia actus secundus supponit actum primum; sed aliquando contingit circa præterita non dari actum primum, ut statim demonstrabimus; ergo saltem tunc non dabitur in actu secundo.

122. **Probatur minor** quoad secundam partem: Primò, quia conscientia circa actiones præsentis, & futuras non est habitus, sed actus, ut supra diximus; atqui experientia constat, hujusmodi conscientiam aliquando non existere actu; ergo neque existit in actu secundo, cum actus secundus supponat existentiam, ut est evidens. Secundò, quia dato, & non concessio, quod hæc conscientia esset habitus, & non actus, adhuc non semper esset in actu secundo; siquidem actus secundus, ut ipsi Adversarii

dicunt, est excitatio ad honestum, & retractio à turpi; sed hæc excitatio, & retractio non intelligitur, nisi mediante aliquâ notitiâ intellectus proponente objectum honestum voluntati amandum, & turpe fugiendum; hæc autem notitia non semper existit; ergo neque Conscientia; consequenterque non semper est in actu secundo.

Oppositum tenent Albert. 2. p. sum. de Deo, tract. 16. q. 99. membr. 3. art. 2. ad 2. & Alens. 2. p. q. 7. memb. 4. pro quibus: Objicies 1. Conscientia habet similitudinem cum igne, idèdque dicitur ignis; nam D. Hieron. in Ezech. in vocat synteresim *Scintillam conscientie*. Et Ezechiel. 8. ad illud: *Producam ignem de medio tui*. Addit Glossa. *Omnia, quæ edificasti, male conscientie ignis absumer*; sed ignis semper est in actu secundo; semper enim lucet & ardet; ergo etiam Conscientia ita representat objectum, ut semper illud representet in actu secundo.

Respondeo datâ majori, negando minorem, & retorquendo argumentum, quia lucere, & ardere in igne, aut est idem formaliter, quod habere calorem, & lucem; aut quod illos producere in vicina corpora: Si primum; ergo ignis non semper est in actu secundo; siquidem lucere, & ardere prout sic, est esse in actu primo, ut patet: Si secundum; ergo neque prout sic ignis necessariò est in actu secundo; siquidem quâ parte concavum Lunæ attingit, nihil producit caloris, saltem in sententiâ, quæ asserit, corpora cælestia esse incorruptibilia; neque prunæ cineri suppositæ lucem producant; ergo similiter, licet concedatur habitus, qui sit conscientia, & semper luceat, ac ardeat in actu primo, qui non distinguitur ab ipso habitu in intellectu; non tamen semper habebit actum secundum refranandi à turpi, & instigandi ad honestum, nisi mediante actuali cognitione representante objectum turpe, & honestum, quæ tamen non semper existit, ut diximus.

Objicies 2. Grave semper tendit in centrum; siquidem licet actu non moveatur, actu tamen inclinatur ad motum, sicque semper est sub actu suæ inclinationis naturalis; ergo similiter conscientia semper erit in actu, quia licet non semper consequatur effectum, nempe consensum voluntatis, qui non est actus conscientie, semper tamen retrahit à malo, & inclinatur ad bonum. **Respondeo** primò, dato antecedente, negando consequentiam, quia instigatio, & retractio non intelligitur absque notitiâ proponente objectum; hæc autem sæpius non datur, ut diximus. **Respondeo** secundò retorquendo argumentum, quia gravia non gravitant, nisi extra locum suum, id est, non conantur ad descensum; ergo neque conscientia instigabit ad honestum, aut coercet à turpi, nisi detur occasio recte, aut male operandi, suppositâ notitiâ proponente, qui solus status exposcit talem inclinationem ad fugiendum malum, & prosequendum bonum.

Difficultas 2. Utrum conscientia in homine viatore ita tendat in objectum, ut extingui possit? Prima sententia defendit, conscientiam posse extingui in hac vitâ. Ita Cordub. lib. 3. q. 11. proposit. 3. Secunda sententia asserit, non posse extingui. Ita Albert. 2. p. sum. quest. de Conscient. art. 3. P. Soar. tract. 3. d. 12. sect. 1. num. 4. Tertia sententia docet, conscientiam quodammodo extingui in aliquibus, dum sunt viatores. Ita Malder. d. 92. §. Colligitur 3.

Dico 1. Conscientia circa actiones præsentis, & futuras in hac vitâ est simpliciter inextinguibilis. Ita

Ita sentio cum Doctoribus secundæ sententiæ. Probatur primò, quia quamdiu homo utitur lumine rationis, impossibile est, quod intellectus ita ignorantia invincibilis tenebris obscuretur ob depravatam peccatorum consuetudinem, aut ob aliam causam, ut in nulla materia nullam moralem turpitudinem depræhendat; aliqui poterit adultus per longos annos vitam agere, & in fine non deputari æternæ poenæ sensus, sed solâ poenâ damni puniri, sicut pueri qui sine Baptismo decedunt; hoc autem non est dicendum, utpotè contra communem modum sentiendi Ecclesiæ; ergo &c.

128. Probatur secundò, quia conscientia non solum est de objecto pravo, sed etiam honesto; atqui sunt aliquot actiones ita apertè naturæ rationali conformes, ut à nullo intellectu, etiam barbaro, judicentur nisi honestæ; sicque circa has actiones non potest conscientia extinguì; ergo hæc conscientia perseverat in homine, non formaliter, & in se, sed radicaliter, nempe in lumine naturali intellectus, quod saltem in per se notis, datâ occasione honestè, aut pravè operandi, judicabit esse bonum, aut malum sic, aut sic operari. Unde

129. Advertes, hanc perseverantiam conscientia in suâ radice sufficere, ut absolute dicamus, conscientiam omnino non extinguì in hac vita, quod verum est, præcipue in sententiâ asserente, conscientiam esse actum, & non habitum, de qua supra; siquidem quando loquimur de permanentiâ hujus conscientia absolute, & universim, & non ut versatur circa determinatam actionem, non intelligitur de permanentia formalis, & in se, evidens enim est non dari formalem permanentiam, cum conscientia sit actus, qui statim definit, sed de permanentia radicali, & quasi in proxima dispositione, sive præparatione ad prodeundum in actum sive conscientiam formalem.

130. Dico 2. Conscientia circa actiones præsentis, & futuras in hac vita dici potest in aliquo sensu extinguibilis. Ita intelligo tertiam sententiam. Probatur primò, quia conscientia prout sic formaliter est actus, ut supra diximus, intellectus; sed hic non est qualitas diu permanens, sed breviter transiens; ergo cum transiit, potest dici extinguì ad instar luminis in lucerna, quæ dicitur extinguì.

131. Probatur secundò, quia etiam dato, quod conscientia sit habitus, cum hic sit aut acquisitus, aut infusus, consequenterque corruptibilis, vel per actus contrarios, vel demeritorie per peccatum mortale, potest conscientia ipsa in qualibet acceptione pro aliquo tempore non existere quoad suam rationem formalem; ergo pro tali tempore dicitur abolita, & extincta.

132. Dico 3. Conscientia circa actiones præteritas potest omnino extinguì in hac vita. Ita teneo cum prima sententiâ. Probatur primò, quia contingere potest, ut aliquis tam vehementi cerebri alteratione laboret, ut omnino obliviscatur eorum, quæ in memoria retinebat, sed tunc nulla dabitur conscientia de præteritis; ergo &c.

133. Probatur secundò quoad actus honestos præteritos, quia si quis ita sit divinâ gratiâ illustratus, ut nullum opus præteritum, licet apparetur honestum, agnoscat, quod non fuerit circumstantiâ aliquâ pravâ vitiatum, in tali homine procul dubio extinguatur conscientia quoad bona opera præterita, juxta illud Isai. 64. 6. ibi. *Facti sumus, ut immandus, omnes nos; & quasi penitus menstruatae, omnes justitie nostræ.* Et illud in Responsor. 8. *Officiū defunctor. Domine nihil dignum in conspectu tuo egi;* ergo potest in homine viatore extinguì conscientia

de bonis præteritis.

Probatur tertio quoad actus praves, quia ille, qui habet actum contritionis, & confitetur, postea non habet conscientiam de peccatis præteritis, & potest dicere cum D. Paul. 1. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum* ergo &c. Probatur quartò quoad utraque opera tum honesta, tum prava, quia puer paulò post usum rationis, licet aliquas actiones tum honestas, tum pravas exercuerit, quia tamen non erant actiones magni ponderis, illarum penitus obliviscitur; ergo &c.

Argues 1. Ex Sapient. 17. 10. *Cum sit, inquit, timida nequitia, dat testimonium condemnationis, semper enim presumit sava, perturbata conscientia: siquidem hæc, ut aiunt Theologi, est liber continens sententiam, quæ proferretur contra reprobos in die Judicii.* Consonat D. Aug. lib. de Poenit. ubi inquit, *In confessione stat accusans conscientia;* ergo conscientia de peccatis præteritis non extinguitur. Respondeo argumentum solum probare, conscientiam non extinguì in illis, qui enormia peccata commiserunt, perseverando in statu impenitentia; nam hi gravibus conscientia remorsibus torquentur; non tamen probare non extinguì in aliis, ut supra ostendimus.

Ad Theologos eodem modo responderi potest, qui etiam explicari possunt de conscientia, non in hac vita, sed de illa, quæ erit post mortem; tunc enim conscientia à Deo infusa in judicio coram ipso Deo accusabit peccatores de omnibus peccatis, quod præstare non poterit conscientia in hac vita ob ignorantiam, inadvertentiam, & oblivionem. Ad autoritatem D. Aug. dicimus, solum probare, dari in confessione conscientiam accusantem, quod est verum; siquidem quando fit confessio, datur accusatio sui.

Argues 2. Conscientia est recordatio peccatorum; sed hæc adhuc post confessionem perseverat; ergo illa perseverante, licet homo confiteatur, non extinguetur conscientia. Respondeo conscientiam non esse quamlibet recordationem peccatorum, sed talem, ut peccata pertineant ad beatitudinem avertendo ab illâ; peccata autem post veram confessionem in ordine ad beatitudinem ita se habent, ac si non essent; ideoque simpliciter dicitur non perseverare conscientia de ipsis. Attamen nō sic extinguì potest conscientia de actionibus honestis, licet hæc per peccatum mortale interrumpantur; suppono enim ex alibi dicendis, has actiones per peccatum mortale non mori, sed solum mortificari, & manere adhuc in acceptione divinâ, ut ad beatitudinem conducant, si peccator iterum justificetur.

Argues 3. Ex D. Hieron. Ezech. 1. Synteresis est scintilla Conscientia; sed synteresis nequit omnino extinguì in hac vita, ut est commune dictum; ergo neque Conscientia. Respondeo synteresim non extinguì, si accipiat pro lumine rationis, quod suis temporibus, objectis propositis, prodibit in suos actus: maxime verò extinguì, si accipiat pro actu, vel pro habitu circa principia agibilia universalis; & ita erit de Conscientiâ, quod argumentum confirmat, quod supra diximus n. 127. & 130.

Argues 4. Conscientia non potest extinguì in damnatis; siquidem vermis eorum, nempe testimonium de peccatis, non moritur; ergo neque in viatoribus; siquidem extinctio Conscientia denotat miserrimum statum, quem vendicant damnati, & non viatores. Respondeo cum Cordub. cit. negando consequentiam; diversa ratio est, quia damnatis

damnatis immittitur à Deo vermis, & stimulus conscientiae in poenam aeternam; sicque conscientia est in illis inextinguibilis; non ita verò in viatoribus, prout supra diximus.

DISPUTATIO II.

De Conscientiâ rectâ.

SECTIO I.

Quid sit Conscientia recta?

DIFFICULTAS I. Quomodo intelligendum sit quoddam dictum Aristot. 6. Ethicor. cap. 2. Ubi sic ait. *Veritas practica est conformitas ad appetitum rectum?* Prima sententia asserit, veritatem practica dici, & esse conformitatem ad appetitum rectum, quatenus ratio recta ex se talis est, quod operatio recta debet sibi conformari, licet de facto illi non conformetur. Unde ratio recta, siue veritas practica est conformitas cum appetitu consequente. Ita Scot. in 3. dist. 36. q. unica, §. *Licet istud. Medin. 1. 2. q. 19. a. 3. §. Sed & illud. P. Soar. cit. d. 12. sect. 2. n. 3. P. Vasq. 1. 2. d. 58. cap. 2. §. Ex quo etiam. P. Azor. lib. 2. cap. 5. q. 4. Pezant. q. 19. art. 6. d. 1. §. Queres. P. Becan. tract. 1. cap. 4. q. 5. n. 6. & alii.*

Dices: Ex eodem Philosopho 6. Ethicor. cap. 1. appetitus est rectus, quatenus sequitur rationem rectam; ergo si è contra ratio est vera per ordinem ad appetitum subsequenter, committitur circulus. Respondeo cum eisdem Doctoribus negando consequentiam quoad ultimam partem; dicunt enim non dari circulum, quia dantur diversa causarum genera; siquidem voluntas tunc recta est, quando est conformis rationi practicae tanquam regulae: & è contra ratio practica tunc est recta, quando conformis est rectae voluntati tanquam objecto.

Secunda nihilominus sententia probabilior, quam sequimur, affirmat, dictum illud Aristot. intelligendum esse de appetitu recto antecedente, non quidem antecedente omnem rationem rectam, sed illam, quæ est de mediis; sicque veritas practica, seu veritas iudicii prudentialis de mediis eligendis, consistit in conformitate ad appetitum rectum, hoc est in conformitate ad media idonea ad consequendum finem honestum intentum. Ita D. Thom. quest. 19. art. 3. ad 2. Conrad. ibid. Caiet. 1. 2. q. 17. art. 5. §. *Ad hoc dicitur. P. Sal. 1. 2. tr. 8. d. unica, sect. 2. n. 11. & multi apud illum. P. Gil. lib. 1. tract. 5. cap. 3. à num. 10. Lorca sect. 2. d. 35. §. Verà igitur.*

Adverte tamen ante probationem, ut aliquod opus bonum fiat, plures posse actus intercedere, tam ex parte intellectus, quam voluntatis: Primus est iudicium de bonitate finis: Secundus est intentio ipsius finis: Tertius est iudicium de mediis convenientibus, & aptis: Quartus est electio mediorum: Quintus est executio eorundem mediorum. His positus.

Probatur primò, quia per appetitum intellexit Philosophus intentionem finis honesti, & per veritatem practica iudicium consultivum, quod iudicat de mediis in ordine ad finem; siquidem utramque affirmat esse principium electionis, unam-

quamque scilicet in suo genere immediatam; ergo prædicta interpretatio verissima est. Confirmatur, quia juxta hanc doctrinam, & interpretationem cohaeret tota illa doctrina Aristot. in cap. cit. & evitatur circulus in prædictis definitionibus; siquidem ratio practica, cujus veritas sumitur in ordine ad appetitum, est iudicium discernendi de mediis; & appetitus, per quem regulatur, est appetitus finis; rectitudo autem hujus appetitus per notitiam præcedentem regulatur; ergo &c.

Probatur secundò, quia aut Adversarii volunt, quod omnis ratio illa sit recta, quæ est principium actionis honestæ: aut aliquam rationem agnoscunt, quæ sit principium actionis honestæ, & tamen recta non sit: Si primum, falsum asserunt; siquidem conscientia erronea inculpabilis sæpè est principium operationis honestæ; & tamen dici non potest, quod sit conscientia recta, ut infra explicabitur: Si secundum, falsum etiam asserunt, rationem rectam illam esse, cui actio honesta debet conformari; siquidem actio potest esse honesta, & tamen conformari conscientiae erranti inculpabiliter; ergo siue datur recta ratio, cui appetitus rectus conformari debet, siue cui appetitus rectus potest conformari, non aptè eo modo traditur descriptio rectæ rationis à posteriori, cum jam constet utrumque esse falsum.

Oppones 1. Ad omnem appetitum rectum præcedit aliqua ratio recta, à qua talis appetitus regulatur; neque enim est major ratio in uno, quam in alio appetitu; sed prima ratio recta, à qua dependet primus appetitus rectus, non est talis per ordinem ad appetitum rectum antecedentem; ergo neque alia rationes rectæ posteriores, cum non assignetur disparitas. Respondeo primam rationem rectam describi non posse per conformitatem ad appetitum rectum, quia nullus datur; semper enim actus intellectus præcedit actum voluntatis: potest tamen recta ratio dictans de mediis describi per appetitum, siue rectam intentionem finis, quia semper illam supponit. Unde jam assignatur discrimen in primâ ratione rectâ dictante de fine, & in ratione rectâ dictante de mediis.

Oppones 2. Iudicium, siue ratio potest esse conformis appetitui recto, non tamen recta; nam in casu, quo aliquis ex intentione sublevandi miseriam pauperis haberet iudicium dictans voluntati, ut sublevaret miseriam pauperis ex pecuniâ alienâ, tale iudicium esset conforme appetitui recto, quia re vera conducebat ad levandam miseriam pauperis; & tamen nullus diceret, tale iudicium esse rectum; ergo ratio recta non est conformitas cum appetitu recto antecedente. Respondeo primò, tale iudicium de medio, neque esse verum, neque rectum, nam ad hoc requiritur, ut medium utile ad finem nullam habeat circumstantiam pravam; siquidem ad hoc etiam ut intentio, siue appetitus sit rectus, debet finis esse honestus, & carere omni pravâ circumstantiâ, quia dictamen rectum est de obiecto conveniente naturæ rationali, quale non est obiectum affectum pravâ circumstantiâ.

Respondeo secundò juxta doctrinam asserentem, posse actum voluntatis esse bonum ex obiecto, & malum ex circumstantiâ, de quo infra suo loco, concedendo in prædicto eventu iudicium esse verum, & rectum, quia verè iudicat de utilitate medii ad talem finem; quamvis per accidens ex pravâ circumstantiâ adjunctâ sit principium electionis simpliciter pravæ, & secundum quid honestæ, quod sufficit.

Ex dictis colliges, dictum illud Aristot. prout sic continere veritatem, illius tamen doctrinam in ordine